

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Mirabile siue miraculum u cum fonte primo

Est adhuc aliud uerum et euidens
diuine sapientie argumentum quod
omne genus simile sibi procreat, et

una species propagata prime originis
formam non immutat; non ouis uitulum,
non uacca agnum, non cerua leporem,
non leo uulpem, sed in sibi simile
propaginem suam extendit.

Aliud genus est fagus,
aliud quercus unumquodque
suam speciem habet, et unumquodque
sui generis seruat similitudinem.
Vide folium quomodo

intrinsicus productis costulis
huc et illuc intexitur.
Numerum unum, numerum aliud;
omne quod est unius generis, unius
inuenies similitudinis,

tot costulas in uno, quot costulas in alio;
talem formam in uno, qualem in
alio; talem colorem in uno,
qualem in alio.

Omnis enim natura quasi cuiusdam
intrinsicus dictantis preceptum
acceperit, nusquam terminos suos
excedere presumit.

Ibidem (Hugo de operibus trium dierum).

Est adhuc aliud verum et euidens
diuinae sapientiae argumentum, quod
omne genus simile sibi procreat, et
in tam multis similitudo

una propagata primae originis
formam non mutat; non ouis vitulum,
non vacca agnum, non cerua leporem,
non leo vulpem, sed in sibi simile
propaginem suam extendit
omne quod est.

Hoc quoque insensibilis natura custodit,
aliud genus arboris est tilia, aliud fagus,
aliud quercus, unumquodque
speciem suam habet, et unumquodque
generis sui seruat similitudinem.

Vide folium quomodo
ferratis dentibus per gyrum
distinguitur, quomodo
intrinsicus productis costulis
huc illucque intexitur.

Numerum unum, numerum aliud.
Omne quod est unius generis, unius
inuenies et multitudinis et similitudinis,
tot dentes in uno quot dentes in alio,
tot costulas in uno quot costulas in alio,
talem formam in uno qualem formam in
alio, talem colorem in uno
qualem colorem in alio.

Ecce quomodo mora, quomodo fraga,
quibusdam granulis ad invicem compactis
circumquaque distinguuntur; tale
unumquodque quale alterum, et
omnis natura quasi cuiusdam
intrinsicus dictantis preceptum
acceperit, nusquam terminos suos
excedere praesumit.

Hugo de sancto Victore, *Eruditionis
didascalicae libri septem*, 7, 11 (PL 176,
col.820B-D).